

§. 17. Minus principalis aut secundaria partim in conditione corporis five qualitatibus immortalitatis & impassibilitatis ; partim in externo dominio super animalia & terram posita fuit, *Genes. I. 26. 28. Vid. Theologi in Loc: de Imagine Dei.* Unô verbô: Omnia erant optima & rectissima.

§. 18. Sed pulcherrima hæc imago divina per miserrimum proh dolor ! primorum Parentum lapsum adeò everfa est, ut quædam tantum adhuc supersint reliquæ è statu integritatis: & sic ortus status aberrans, corruptus, legalis. Nam quoad intellectum amissa est rerum cognitio cum virtutibus intellectualibus maximam partem ; in adpetitu utroque jacturam virtutum moralium fecimus.

§. 19. Quibus præmissis, repetimus ex §. 8. & ostendimus distinctius, Ethicè justum pertinere ad statum rectum five integrum quoad consecutionem perfectè ; ad statum verò corruptum quoad intentionem perfectè, quoad consecutionem imperfectè. Politicè verò quod justum est, ad statum tantum pertinet corruptum.

§. 20. Dicimus autem non absque ratione, quòd justum Ethicè tale, ad statum corruptum pertineat quoad intentionem perfectè, quoad consecutionem imperfectè. Ratio est, quia natura nostra per primum lapsum penitus est corrupta, ut diximus §. *præced. 18. hujus Cap.* Si enim in statu integro viveremus adhuc, consequeremur hoc justum Ethicè tale nos omnes in hoc mundo. Namque tum non solum Aristides κατ' ἐξοχήν nobis veniret justus nomine &c. verum omnes omninò omnibus virtutibus, quæ quidem in illo statu usum, habere possent, essemus instructi. Cum verò jam vivamus in statu eheu ! corrupto, tantummodò quoad intentionem cadit in nos perfectè justitia Ethicè talis, si quidem perfectum habitum acquirere nitimur quidem, sed ultra semivirtutem in hac mortali vita adscendere vix possumus. Inde quoque status naturalis five integer dicitur idealis, quia non actu illum obtinemus hodiè, sed tantum possidemus in imagine & quasi speculo. Imperfectè tamen aliquid de eo, si virtutibus studemus, actu recuperamus ; sed non ultra imperfectiorem cum graduum, tum partium. Perfectio verò alterius vitæ est. Posses huc non ineptè trahere definitionem Summi Boni apud Aristotelem, cui *Lib. 1. Nicomach. Cap. VII. Est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam, ἐν βίῳ τελείῳ, in vitæ perfectæ.* Atqui vita nostra in hoc mundo nunquam & nusquam est perfe-

perfe-